 ciliis æditis specialibus , vel generalibus Constitutionibus ,  
 & Ordinationibus , ac quibusvis aliis de Ecclesia Vlix-  
 bonen. contrariis statutis , & consuetudinibus etiam  
 immemorabilibus Conciliis , transactione etiam Jura-  
 mento , confirmatione Apostolica , vel quavis alia firmi-  
 tate roboratis , Privilegiis quoque Indultis , & Litteris  
 Apostolicis , Beneficiatis , seu Portionariis prædictis , ac  
 quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus , &  
 formis , ac cum quibusvis etiam derogatariarum deroga-  
 toriis , aliisque efficacioribus , & insolitis clausulis , nec  
 non irritantibus , & aliis decretis in genere , vel in  
 specie , etiam motu proprio , & ex certa scientia , &  
 aliàs quomodolibet concessis , approbatis , & innovatis ,  
 quibus omnibus etiam si de illis , eorumque totis tenori-  
 bus , specialis , specifica , & expressa , ac de verbo ad  
 verbum , non autem per clausulas generales idem impor-  
 tantes mentio , seu quævis alia expressio habenda , aut  
 aliqua alia exquisita forma servanda foret tenoris hu-  
 jusmodi , ac si de verbo ad verbum , & forma in illis  
 tradita servanda forent inserta præsentibus pro expressis  
 habentes , illis aliàs in suo robore mansuris hac vice

Derogatio  
 statutorum,  
 & consuetu-  
 dinum etiam  
 immemora-  
 bilium.



dumtaxat, & quæ ad hunc effectum specialiter, & expressè derogamus, aut si Beneficiatis, aut Portionariis prædictis, seu quibusvis aliis communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 29. Augusti Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

## Num. II.

# CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motus proprius scilicet Clementis VIII. **O**fficii nostri ratio Pastoralis exposcit, ut statuta Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Cultus Divini augmentum concernentia, non solum ab omnibus inviolabiliter servari, sed etiam sublatis ambiguitatibus, & litium anfractibus pacem, & quietem inter Dei Ministros conservari, servato Juris tramite providere debeamus, aliàs siquidem sicut accepimus per fel. rec. Gregorium Papam XIV. Prædecessorem nostrum ex dilectorum filiorum Decani, & Capituli Ecclesie Ulixbonen. insinuatione, accepto quod licet olim in Ecclesia prædicta non mediocris existeret præbendarum numerus,



merus, quia tamen pauci ex Canonicis d. Ecclesie in ea residebant, & in Divinis Officiis deservirent, alias nihil de Proventibus prebendarum hujusmodi perciperent provideretur, & quamvis nonnullae hujusmodi prebendarum in duas, & aliquae hujusmodi in quatuor partes, quae perpetua Beneficia in eadem Ecclesia existerent divisae, & de singulis Beneficiis hujusmodi in quatuor partes, quae perpetua Beneficia in eadem Ecclesia existerent divisae, & de singulis Beneficiis inquam hujusmodi successivè personis idoneis provisum fuisset, personaeque hujusmodi successivè, quarum illae, quae Portiones, seu Beneficia prebendarum in duas medii Canonici, alii verò, quae Portiones, Beneficia prebendarum in quatuor Portiones divisarum pro tempore existerent, Quartanarii appellantur per certum tempus in dicta Ecclesia Missis, & singulis Horis Canonicis fideliter servire, & interesse consuevissent. Cum tamen à nonnullis annis citrà ipsi medii Canonici, & Quartanarii deservire minimè curarent in Divini Cultus diminutionem, & detrimentum. Idem Pontifex Praedecessor, Decani, & Capituli praedictorum supplicationibus inclinatus Apostolica auctoritate statuerat, & determinaverat, quod omnes & singuli medii Canonici, & Quartanarii praedicti tunc, & praesentes, & futuri, illi videlicet, qui tunc erant, in Sacris Ordinibus constituti non forent infrà annum à tempore notificationis Litterarum super Ordinatione, & statuto earundem litterarum praedictis emantatarum, alii vero, qui in futurum essent infrà annum à die adeptae pacificae possessionis suarum Portionum, ac Beneficiorum se saltem ad Subdiaconatus Ordinem pro-

Refertur  
dispositio  
Gregorii  
XIV.



moveri facerent, & in dicta Ecclesia personalitè residere & ad instar Baccalaureorum Chori se teneri, ac in Missis, & aliis Divinis Officiis, & Horis Canonicis juxtà modum per d. Decanum, & Capitulum earumdem Litterarum auctoritate ordinandum fideliter servire teneretur, nisi fortè aliquis eorum ratione studii, aut alia legitima causa de consensu, & licentia dictorum Decani, & Capituli absens esset, quo casu alium loco sui in dicta Ecclesia deputaret, volueratque idem Pontifex, atque mandaverat hujusmodi statutum, & ordinationem, ac modum deserviendi per ipsos Decanum, & Capitulum sic tradendum, sub Excommunicationis, & privationum Beneficiorum suorum penès per quemcumque inobedientem, & contradicentem ipso facto incurrisse irrevocabilitè. Deindè verò Pius Papa II. & Prædecessor noster ex eorundem Decani, & Capituli insinuatione, accepto quod licet juxtà earumdem Litterarum facultatem, & sibi concessam auctoritatem Decanus, & Capitulum prædicti inter alia duo edidisset statuta, in quorum principio cavebatur, quod cum Decanus, & Capitulum prædictæ Ecclesiæ, Capitulum celebrare vellent, omnes Canonici ad sonum Campanæ vocarentur, & Decanus Campanæ pulsum ad hoc dare curaret, fieretque Capitulum saltem ter in hebdomada, & si quis ex Canonicis infirmus, aut aliter legitime impeditus esset, itaque ad Capitulum venire non posset, Decanus, & Capitulum prædicti eadem die illud, quod in Capitulo propositum esset, ei notificare tenerentur, ad hoc, ut Votum suum dare posset, & in secundo, quod Capitulum non posset, nec deberet facere remissionem de aliquo

Pœnæ contra non observantes statutum Capituli.

Refertur dispositio Pii II.

Duo statuta Capituli.

aliquo



aliquo debito Ecclesiastico, sive in pecuniis, sive in quibuscumque aliis consisteret, etsi aliter vellet pro ipsius fortè Ecclesiæ evidenti utilitate, tunc omnes d. Ecclesiæ Beneficiati convocarentur, in aliis verò Capitularib. actib. sive per Capit. expediendis cæteri Beneficiati, seu Canonici non constituti in Sacris Ordinibus non convocarentur, nisi fortè ad Consilium esset expediens, & utile evocari, prout Jura in talibus præcipiebant, dimidii verò Canonici, & Quartanarii tempore, quo Capitulum dictæ Ecclesiæ teneretur, seu celebraretur, sive pro causis, sive negotiis, exceptis in prædictis casibus, Capitularibus in Choro, & Divinis Officiis in prædicta Ecclesia inservire debere, & tenerentur, ne ipsa Ecclesia defectum Personarum pateretur, ad quod profectò evitandum eorum Beneficia instituta, eademque Præbendæ diminutæ fuerant, ut præfertur: tamen cum super ipsorum Statutorum, & Ordinationum observatione inter Decanum, & Capitulum ex una, & prædictos Dimidios Canonicos, & Quartanarios, ex altera partibus nonnullæ lites, & differentiarum quæstiones sub prætextu prætensæ quasi possessionis interessendi in omnibus actibus Capitularibus in Palatii Apostolici Auditorio introductæ fuissent, & demùm ab ea omnes præter duos ex istis Beneficiatis destitissent; tandem idem Pius Secundus Prædecessor attendens, quod præmissa in dictis contenta ad augmentum Divini Cultus, in cujus præjudicium, nec præscriptio, nec aliquis temporis cursus locum sibi vindicare debebat, facta fuerant quodque Decano, & Capitulo prædictis licitum erat præfinire, & statuere modum, quo prædicti Medii Canonici,

Portionarii  
excl. si à  
Capitulo  
præter ca-  
sum remis-  
sionis debi-  
ti.

Mentio spe-  
cifica litis in  
Rota.



ci, & Quartanarii in eadem Ecclesia inservire tenebantur eadem statuta, & facultatem eisdem Decano, & Capitulo statuendi, & ordinandi modum, secundum quem prædicti Quartanarii, & dimidii Canonici servire tenerentur concessa approbaverat, ac dimidios Canonicos, & Quartanarios prædictos ad observationem dd. litterarum, ac etiam observationem ordinationum per eosdem Decanum, & Capitulum factam, & facien. adstringi, & teneri sub pænis, & censuris in eisdem litteris contentis decreverat, & aliter prout in diversis ipsorum Prædecessorum litteris desuper confectis plenius dicebatur contineri: Verum quamvis Portionarii, seu dimidii Canonici, & Quartanarii, seu Beneficiati prædicti, quorum portiones, & Beneficia hujusmodi ad hæc instituta fuerant, ut defectum Canonorum in Divinis servientium suppleret, eidem Ecclesiæ in Choro, & Altari Divinis Officiis juxta formam Statutorum, ac Litterarum prædictarum deservire tenerentur, & deberent, servitium, ac Ministerium illis, sic impositum sensim detrectare procurabant, singulis actibus, & negotiis Capitularibus, unâ cum Canonicis prædictis interesse præsumebant, ideoque fiebat, ut horæ Canonice, & Missa, quæ Tertia nuncupatur, dum negocia in dicto Capitulo prætractantur per quosdam Capellanos mercede conductos, non autem per eosdem Beneficiatos de Choro dicerentur in non modicam Divini Cultus diminutionem, in prædicta Ecclesia, quæ Metropolitana, & alioquin Insignis existit, fidelisque Populi ad eandem devotionis, ac Divinorum audientium causâ confluentis scandalum, & offensionem dictus

Portiones  
cûr institu-  
ta.

Medii Ca-  
nonici, &  
Quartanarii  
faciebant  
suppleri ser-  
vitium per  
Capellanos  
mercede  
conductos.



dictus Gregorius Prædecessor attendens, & quod in aliis Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesiis Regni Portugalliae, in quo ipsa Ecclesia Ulixbonen. consistit, Portionariis, seu Beneficiatis Vocem in Capitulo habere minimè consueverunt, cupiensque, ut hujusmodi Divina Officia in prædicta Ecclesia Ulixbonen. eâ, quæ præ loci Dignitate conveniebat, decentiâ cum ipsius Populi consolatione, & salute peragerentur providere statum litis, & cætera, si quæ essent præ expressis habendo motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, statutum, ordinationem, & decretum desuperque confectum, litterasque hujusmodi, & in eis contenta quæcumque cum omnibus, & singulis indè secutis, & sequendis Auctoritate Apostolica, perpetuò approbavit, & confirmavit, ac illa quatenus opus esset innovavit, & de novo concessit, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiecit, supplens omnes, & singulos, tam Juris, quàm facti, ac solemnitatum de Jure, & usu, & consuetudine, aut de Stylo requisitarum, & aliter qualitercumque necessarios, & quoscumque alios etiam quantumvis substantialis defectus, si qui in præmissis, & indè secutis, seu quæcumque illorum quomodolibet intervenisse, & nihilominus pro potiori cautela statuit, & ordinavit, quod Portionarii, & Beneficiati prædicti, medii Canonici, & Quartanarii nuncupati vocem in Capitulo prædictæ Ecclesiæ Ulixbonen. minimè haberent, neque ad tractatus quoscumque inibi faciendos, seu habendos, nisi juxta earundem Constitutionum tenorem vocarentur, nec haberi, aut vocari ullo unquam tempore

Narratur quod Gregorius XIV. statuerat medios Canonicos, & Quartanarios non habere vocem in Capitulo



pore possent, seu deberent, sed Missæ de Tertia, aliisque Divinis Officiis, atque horis prædictis, dum negotia Capituli per illius Decanum, & Capitulum, seu Canonicos prædictos prò tempore tractarentur intervenire, eaque celebrare, & decantare juxtà foundationem, & Institutionem Portionum, & Beneficiorum suorum prædictorum, modumque, & formam ad hoc eis per Decanum, & Capitulum juxtà dd. Litterarum tenorem præscriben. sub pænis, ut præfertur infligendis, & per contravenientes eo ipso incurrendis omninò teneantur, & ad id per Decanum, & Capitulum prædictos omnibus Juris viis, modis, & remediis necessariis, & opportunis, omni appellatione, & reclamatione penitus cessante, & remotâ cogi, & compelli posset, decernens litteras tunc desuper confectas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis suæ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod prædicti Interesse habentes ad hoc vocati non fuissent notari, vel impugnari, aut retractari, seu in controversiam deduci, aut ad terminos Juris deduci, aut adversùs eos quodcumque Juris, vel facti remedium impetrari posse, sed semper validos, & efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac per Portionarios, & Beneficiatos prædictos sub sententiis, censuris, & pænis prædictis inviolabiliter observari debere, neque Portionarios ipsos contrà eas etiam sub cujusvis consuetudinis, seu alio quovis prætextu venire, & excipere posse, sicque, & non aliter per quoscumque Judices Commissarios, & Ordinarios etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ

Clausula tollens subreptionem, que refertur apposta in Litteris Gregorii.

Aliæ clausulæ de quibus similiter in Litteris Gregorii.



Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales , & Legatos etiam de Latere , sublata eis quavis aliter judicandi , & interpretandi facultate judicari , & definiri debere , ac irritum si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari , prout in Litteris Apostolicis desuper in forma Brevis expeditis plenius continetur. Quas quidem Litteras Ven. Fr. Archiepiscopus Ulixbonen. Executor demandari volens illas ad. mediis , & Quartanariis , & Beneficiatis , tam in Capitulo , quam extra illud intimari fecit , quorum aliqui per appellationem ad Sedem Apostolicam se illarum executioni opposuerunt , à qua nonnulli destiterunt , ex quibus tantum duo , vel tres appellationi institerunt , quam idem Archiepiscopus admittere recusavit , easdemque litteras executioni plenarie demandans , prout in Processibus , & Institutis desuper confectis etiam plenius continetur. Nos igitur attendentes præmissa in augmentum Cultus Divini , & servitii in dicta Ecclesia , illiusque Ministrorum quietem , & aliorum Spiritualem consolationem tendere , cupiensque , ut illa sine alia cujuscumque molestia , vel contradictione observentur ; ac Litterarum Gregorii Prædecessoris , aliorumque præmissorum , & inde secutorum , hic etiam de necessitate , seu aliàs quomodocumque exprimen. tenorem , & circumstantias , causasque , & occasiones , ac si de verbo ad verbum insererentur , præsentibus præ expressis , & insertis haben. motu proprio , non ad Decani , & Capituli prædictorum , aut alias pro eis nobis desuper oblatæ petitionis Instantiam , sed ex mera deliberatione , & ex certa scientia nostræ , deque Apostolicæ

Dispositio  
Clementis  
VIII.

Clausulæ  
Motu proprio , & ex  
certa scientia.



tolicæ potestatis plenitudine *statutum*, *ordinationem*  
 & *decretum* illiusque *confirmationem*, & *approbationem*,  
*novamque concessionem roboris adiectionem*, defectuum  
*suppletionem*, & *decretum* etiam irritans Gregorii  
 XIV. & *desuper confectas litteras* hujusmodi, ac om-  
 nia, & *singula in eis contenta*, & *indè secuta quæ-*  
*cumque auctoritate Apostolica tenore præsentium per-*  
*petuò approbamus*, & *confirmamus*, ac etiam in-  
 novamus, & *de novo concedimus*, illisque *perpe-*  
*tua*, & *inviolabilis firmitatis Apostolicæ*, *robur adji-*  
*cimur*, ac omnes, & *singulos etiam tam Juris,*  
*quàm facti*, & *alios quoscumque quantumvis sub-*  
*stantiales defectus*, *si qui intervenerint in eisdem sup-*  
*plemus decernentes præsentis* ullo unquam tempore etiam  
 ex eo, quod *Portianarii*, & *Beneficiati prædicti*, &  
*alii quicumque Interesse quomodolibet habentes*, seu *putan-*  
*tes*, ad hoc *vocati non fuerint*, aut ex quovis alio *capite*,  
 vel *prætextu* de *subreptionis*, vel *obreptionis*,  
 aut *nullitatis vitio*, seu *intentionis nostræ*, vel alio  
 quopiam defectu *notari*, vel *impugnari*, seu *retra-*  
*ctari*, seu in *Jus per controversiam vocari* ad ter-  
 minos *Juris* *reduci*, aut *adversùs eos*, quodcumque  
*Juris*, vel *facti remedium*, seu *gratiam impetrari*  
*posse*, *sed semper validas*, & *efficaces existere*, suosque  
*plenarios effectus sortiri*, & *obtinere*, ac per *Portiona-*  
*rios*, & *Beneficiatos prædictos*, aliosque ad quos *spe-*  
*ctat*, & *spectabit prò tempore*, & *juxtà statutum*, &  
*ordinationem prædictam*, ac *sub sententiis*, *cenfuris*,  
 & *penis in illis*, ac *litteris prædictis contentis*, &  
*comminatis inviolabiliter observari debere*, neque Por-  
 tionarios

Suppletio  
defectuum.

Clausula  
tollens sub-  
reptionem.

Derogatio  
cujuscum-  
que consue-  
tudinis.



tionarios prædictos contrà eas etiam sub cujusvis consuetudinis , etiam omnium rationabilis sub alio quovis prætextu venire , & excipere posse , sicque , & non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios , & Commissarios , & Causarum Palatii Apostolici Auditores , Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos , sublata eis , & eorum cuilibet , quavis aliter impetrandi , & judicandi facultate , & auctoritate judicari , & definiri , quavis causa , & Instantia debere , ac irritum quoque , & inane quidquid secùs super his à quoquam , quavis auctoritate , scienter , vel ignoranter contigerit attractari , & nihilominùs causam , & quascumque causas , si quæ forsan super præmissis , aut occasione illarum ubicumque , & in quavis Instantia motæ sint illarum status , & merita , ac Partium Jura , & prætensiones , nomina , & cognomina præsentis pro expressis habentes cum omnibus suis incident. emergen. annexis , & connexis ad nos harum serie avocamus , illosque , ac litem hujusmodi penitùs extinguimus , nec non Beneficiatis prædictis , omnibusque , & singulis aliis interesse habentibus , perpetuum silentium desuper imponimus districtius inbibemus , ac interdiciamus quibusvis Judicibus , & personis , ne in aliqua causa , seu causis super his ad Instantiam prædictorum Beneficiorum , & Portionariorum , vel aliorum quemquam audire , aut de illarum meritis aliter cognoscere vel alias quomodolibet se intromittere , seu immiscere quoquo modo audeant , vel præsumant , quo circa eidem , & prò tempore existenti Archiepiscopo Ulixbonen. ac Ven. etiam Fratribus

Clausula  
sublata cum  
Decreto ir-  
ritante.

Mentio li-  
tis, avocatio  
causæ, ex-  
tinctio ejus-  
dem litis, &  
impositio  
perpetui si-  
lentii.

Bulla exe-  
cutoria.



Colimbricen. & Leyrien. Episcopis per presentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus, eorum quoties pro parte Decani, & Capituli predictorum fuerint requisiti presentes hujusmodi, ac in eis contenta quaecumque solemniter publicare, eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant premissa omnia, quibus id competit inviolabiliter observari, non permittentes Decanum, & Capitulum predictos super his à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoscumque, & inobedientes per Sententias, censuras, & penas Ecclesiasticas appellatione postposita coercendo, ipsasque Sententias, censuras, & penas aggravando, & reaggravando, invocato ad hoc si opus fuerit brachii Secularis auxilio. Nos enim illis, & eorum cuilibet citandi, & inhibendi, quos, quibus, & quoties opus fuerit, aliaque circa premissa necessaria, & opportuna faciendo plenariam auctoritatem, auctoritate predicta tribuimus potestatem, non obstantibus premissis, ac quibusvis Apostolicis, nec non etiam in Provincialibus, & Synodalibus Consiliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac etiam predictis, & aliis dictae Ecclesiae Ulixbonen. etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac concordis, Sententiis in integrum restitutionibus, & transactionibus, Privilegiis, quoque Indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Portionariis, & Beneficiatis predictis, ac quibusvis aliis Personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & Clausulis irritantibus,

Clausulae  
non obstantiarum.

Papa derogat consuetudinibus immemorabilibus Sententiis, & Statutis &c.



tantibus, & decretis in genere, & in specie in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, & expressa, non autem per Clausulas generales mentio habenda foret, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat latissimè specialitèr, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, & decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ in Monte Quirinali die 10. mensis Junii Anno 1592. Pontificatus nostri Anno 1.

M. Vestrius Barbianus.

### Num. III.

**F**RANCISCUS SACRATUS JURIS UTRIUSQUE DOCTOR SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPÆ CAPELLANUS, & IPSIUS SAC. PALATII APOSTOLICI CAUSARUM, CAUSAQUE, & CAUSIS, ac PARTIBUS INFRASCRIPTIIS AB EODEM D. N. PAPA AUDITOR, JUDEX, & COMMISSARIUS SPECIALITÈR DEPUTATUS; UNIVERSIS, & SINGULIS DD. ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ARCHIDIACONIS, SCHOLASTICIS, CANTORIBUS, THESAURARIIS, SUCCENTORIBUS, SACRISTIS TAM CATHEDRALIUM, & METROPOLITANARUM, QUAM COLLEGIATARUM CANONICIS, PAROCHIALIUMQUE ECCLESiarUM RECTORIBUS, SEU LOCUMENTENTIBUS EORUM, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, CURATIS, & NON CURATIS, VICARIIS PERPETUIS, ALTARISTIS, CÆTERISQUE PRESBYTERIS, CLERICIS, NOTARIIS, & TABELLIONIBUS PUBLICIS QUIBUSCUMQUE PER CIVITATEM, & DIOECESIM ULIXBON. ac aliàs ubilibet constitutis, illisque, vel illis, ad quem

vel

Litteræ executoriales Rotaless exped. cor. R. P. D. Sacrato in quibus ultra duos Motus proprios Gregorii, & Clementis sunt insertæ omnes sequentes tres Commissiones.



vel ad quos præsentēs nostræ Litteræ pervenerint salutem in Domino, & nostris hujusmodi, immò veriùs Apostolicis firmitè obedire mandatis; Noveritis quod nupèr Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens Divina Providentia Papa Octavus quamdam Commissionis, seu Supplicationis Papi Schedulam habentem in ejus capite, & initio Copias duarum Litterarum Motus proprii, nec non, & duarum Commissionum insertas Nobis per unum ex suis Cursoribus præsentari fecit hujusmodi sub tenore videlicèt.

Sequuntur duo Motus proprii Gregorii, & Clementis, qui fuerunt immediatè suprà in hoc Summario registrati, proptereaquè eorum tenor hìc omittitur.

## PATER SANCTE.

Commissio, quæ proposita fuit in Signatura Gratiæ sub die 11. Martii 1595. ad instantiam Adversariorum, & Sanctissimus illam rejecit, nec signare voluit.

**L**icèt ad suggestionem Decani, & Capituli Ulixbonen. emanaverint à felic. recordationis Gregorio XIV. & deindè à S. V. præinsertæ in præjudicium S. V. Oratorum Canonorum Dimidiorum, & Quartanariorum nuncupatorum in Ecclesia Ulixbonen. institut. quos duriori residentia, ac horis Divinis interessentia adstringi, & voce Capitulari illis, ac cæteris Canonicis competen. dicti Decani, & Capitulum indebitè privare conati sunt, quia tamen multa in illis supplicata, & suggesta fuere, quæ veritate carent, & alia extent, quæ si expressa fuissent, utique præinsertas omnibus non citatis minimè obtinuisent, & ultra præinsertis obstat regula de non solvendo Jure quæsito, & justum non est, ut Causa non cognita, & cum falsis suggestionibus Oratores priventur Ju-  
re



re sibi competenti, prout modernus Archiepiscopus Ulyx-  
 bonen. tanquam Executor præinsertarum fecit, undè me-  
 ritò ab illius Processu fuit per dd. Oratores ad S. V.  
 appellatum, & provocatum propterea dicti Oratores re-  
 currunt ad S. V. eidem exponendo veritate carere, quod  
 Innocentius IV. aliquid contra Oratores statuisset, & li-  
 cèt Bonifacius IX. Motus narrativa Decani, & Ca-  
 pit. mandaverit Orat. residere, & horis Divinis Inte-  
 resse, dum Capitula fierent, ut in præinsertis dicitur, ta-  
 men ejus mandatum non habuit effectum uti subreptitium,  
 quippe narrativa Decani, & Capituli falsa existente,  
 prout effectus docuit, nam mota antiquitùs Lite in Ro-  
 ta occasione Litterarum Bonifacii per Decanum, & Ca-  
 nonicos Adversarios, Oratores reportarunt Sententias fa-  
 vorabiles in spolio, reintegrando eos ad suam possessio-  
 nem, qua adversùs illos privare intenderat, in qua pos-  
 teà per centum & triginta annos pacificè permanserunt,  
 prout Litteræ Pii Secundi Exadversò obtentæ lite pen-  
 dente non obstiterunt uti laborantes eisdem subreptionibus,  
 & quia cum Clausula sinè præjudicio Litis pendentis  
 emanarunt, undè Rota illis non obstantibus alteram Sen-  
 tentiam primæ confirmatoriam tulit ad Oratorum favo-  
 rem, quæ demùm executioni demandata fuit, quia præ-  
 dicti Adversarii tertiam Instantiam prosequi noluerunt,  
 prout ex prædictis Sententiis videre est, ad quas relatio  
 habeatur, quibus stantibus, utique felicitis recordationis  
 Gregorius Papa XIV. & S. V. præinsertas denegaf-  
 sent, si, & quatenùs scivissent Litteras prædictorum  
 Bonifacii, & Pii nequaquam substitisse, quinimò peni-  
 tùs Oratores illis non obstan. Sententias Rotaes in favo-  
 rem



Adversarii  
fatentur hic  
desistentiam  
ab appella-  
tione alias  
interposita.

rem reportasse, & in sua vera, & Juridica possessione per centum triginta annos permansisse, rursus veritate caruit tres tantum ex omnibus contra dixisse Præceptis Archiepiscopi Ulixbonen. prædicti Gregorii Litteras exequentis, cum omnes dimidii Canonici, & Quartanarii appellaverint, quod si aliqui postea motu Censurarum, & privatione Beneficiorum territi finxerint acquiescere, constat tamen de eorum reclamatione, & pro Juramento legitime per eos dato ad hujusmodi causæ prosecutionem; In casu præsentis cessat quoque scandalum narratum ob interessentiam Oratorum in Capitulis, quia nullum adest, cum tam Oratores, quam Adversarii per Statuta dictæ Ecclesiæ æqualiter ad servitium Chori, & Altaris obligentur, & insuper cessat defectus Cultus Divini, tum quia sunt deputati decem Baccalaurei cum uno Succentore, qui omnes de communi Mensa aluntur, & Horis diurnis, dum Capitula fiunt, intersunt, tum quia Congregatio Cæremoniarum declaravit Capitula debere fieri finitis horis; His igitur deductis, & aliis suo loco deducere, cum per præinsertas Litteras inferatur omnibus, & eorum Beneficiis perpetuum præjudicium, & imponatur onus, quod nunquam haberunt, supplicat humiliter S. V. quatenus prævia avocatione causæ ab Archiepiscopo Ulixbonen. seu alio quocumque iudice ad executionem præinsertarum, nec non apposita Oris aperitione Causam, & Causas appellationis, & appellationum per Oratores, ut supra interpositarum; Necnon quam, & quas habent, & movent; habereque, & movere volunt, & intendunt de, & super subreptione, & defectu intentionis, nec non nullitate,

¶



& invaliditate præinsertarum, ac Jure votandi, resi-  
 dendi, horis Canonicis interessendi, & abessendi, re-  
 busque aliis in possessorio, & petitorio contra dd. Deca-  
 num, & Canonicos Ulixbonen. unà cum omnibus, & sin-  
 gulis inciden., dependen., emergen., annexis, & conne-  
 xis, ac summarie, prout in Beneficialibus, audien., co-  
 gnoscen., fineque debito terminan. apud Franciscum Man-  
 tica Rotæ Auditorem, coràm quo alia Causa intèr eas-  
 dem Partes super denominatione Oratorum pendet inde-  
 cisa committere, & mandare dignetur cùm potestate di-  
 ctos Decanum, Canonicos, & Capitulum, omnesque alios  
 citandi etiam per Edictum, illisque, ac dd. Archiepisco-  
 po, cæterisque Judicibus quavis auctoritate fungen., in-  
 hiben., & sub sententiis, & Censuris Ecclesiasticis, aliis-  
 que pecuniariis pœnis, nec non Oratores manutenendo in  
 sua possessione, & quatenus expoliati existunt, prout  
 Juris fuerit reintegrare, & restituen. cum clausulis op-  
 portunis præmissis, præinsertis clausulis etiam derogato-  
 riarum derogatoriis in eis appositis cùm indè secutis Con-  
 stitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, stylo Pala-  
 tii, & Curie, cæterisque contrariis quibuscumque non ob-  
 stantibus statum, & merita, ac alia de necessitate ex-  
 primenda hic forsàn pro expressis haben. die Sabbathi  
 II mensis Martii 1595 fuit proposita suprascripta  
 Commissio in Signatura coram Sanctissimo D. N.  
 Clemente Octavo per me &c. Bel. V., Signaturæ  
 Referendarium, & idem Sanctissimus D. N. illam  
 rejecit, nec signare voluit. In quorum, fidem, &c.

Rejectio su-  
 pradictæ Cõ-  
 missionis per  
 Signaturam  
 Gratix de-  
 mandata de  
 anno 1595.  
 iud die 11.  
 Martii.

Adverten-  
 dum hic  
 quod hoc  
 rescriptum  
 Signaturæ  
 Gratix quo  
 rejecta fuit  
 in stantia  
 Adversario-  
 rum pro a-  
 peritione  
 oris est in-  
 fertum, pro-  
 ut jacet in  
 literis exe-  
 cutorialibus  
 Rotalibus  
 coram R. P.  
 D. Sacrato,  
 & idè est  
 authenti-  
 cum, & in  
 forma pro-  
 banti.

I. Bael. V. S. R.

Aa

BEA-



## BEATISSIME PATER.

Commissio  
ex aduerso  
extorta sub  
banca, & di-  
recta R. P. D.  
Sacrao tunc  
temporis S.  
Rotæ Audi-  
tore, nulla  
facta men-  
tione de  
præcedenti  
Rescripto  
Signaturæ  
Gratiæ, ac  
de Indultis  
continenti-  
bus clausu-  
lam sublata,  
&c. ac de-  
cretum irri-  
tans.

**L**icet devoti S. V. Oratores Canonici Dimidiati, & Quartanarii Ecclesiæ Ulixbonen. non debuissent, nec potuissent ab aliquo molestari de, & super Juribus, præeminentiis, dignitatibus, muneribus, ac officiis, ac residentia Beneficiorum ipsorum Oratorum stantibus præsertim tribus sententiis Rotalibus ad favorem Oratorum eorumdem latis, tamèn quia Decanus, Canonici, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ assertum statutum, seu statuta in præjudicium omnium eorumdem dimidiorum Canonico- rum, & Beneficiorum, eis que non vocatis, ut debebatur, ediderant, ideò ab eis apposito, habitoque recurso ad Ordinarium Ulixbonen., coram eo causa introducta, propositisque exceptionibus, quibus dictus Ordinarius debuisset ad revocationem devenire, tamen post lapsos duos annos non solum id non fecit, sed potius ad assertam sententiam, seu sententias, ut dicitur devenerat, & propterea causa, seu causas hujusmodi introductis coram S. V. Nuncio, & Collectore spoliatorum in illis Partibus commorantibus, tandem Nuncius, & Collector prædictus per suum definitivum Decretum pronunciavit, quod Oratores pro causa, & causis prædictis S. V. adire deberent. Supplicat igitur humiliter S. V. Oratores prædicti, quatenus dignetur causam, & causas de, & super nullitate dicti statuti, seu statutorum, ac omnium ordinatorum per dictos Adversarios con. dd. Oratores, eorumque Beneficia, dignitates, munera, & Officia, ac restitutione fructuum, reddituum, & emolumentorum quorumcumque,



cumque , nèc non etiam appellationis , & appellationum prædictarum , nullitatisque , & nullitatum ex tribus iniquitatis , & Injustitiæ attentatorum , & innovatorum quorumcumque unà cum omnibus , & singulis inciden. , de- pnden. , emergen. annexis , & connexis , totoque negotio principali , ac clausula , quam , & quas dicti Oratores habent , & movent , habereque , & movere volunt , & intendunt de , & super præmissis , rebusque aliis in Actis , & Processu causæ , & causarum hujusmodi suis loco , & tempore quandocumque deducendis , & exprimen. alicui ex Vestri Sac. Palatii causarum Auditori audien. cognoscen. deciden. , fineque debito terminan. summarie , & prout in Beneficialibus committere , & mandare cum potestate , quos , quibus dictos Adversarios , & quoscumque alios in executione citationis vigore præsentium , nominan. , & cognominan. , & per Edictum publicum constituto summarie , & extrajudicialiter de non tuto accessu in Curia , & extrà citan. , & sub Ecclesiasticis sententiis , Censuris , & pœnis , ejus arbitrio etiam pecuniariis applican. pœnis inhiben. Contradictores , & rebelles in sententias , pœnas , & censuras hujusmodi incidisse servata forma Sac. Concilii Tridentini declaran. , aggravan. , & reaggravan. interdican. , invocato , quatenus opus sit auxilio , brachii sæcularis attentata , innovata quæcumque in primis , & antè omnia , prout Juris fuerit revocan. , Oratoresque in eorum possessione , seù quasi Juris exercen. , eorumque dignitates , munera , officia , & præeminentias , ac fructus , redditus , proventus , & emolumenta exigendi , prout Juris fuerit manutenendo , & conservando , & quatenus illi , seù eorum alter forsan



*spoliatus reperiatur, prout similiter Juris fuerit reintegrando, & restituendo, ac quaecumque mandata necessaria, & opportuna, etiam suo sub parvo sigillo, loco Executorialium decernen., relaxan., & exequen.; Oratoresque adversus quemcumque fatalium lapsum, seu praetensam forsàn rem judicatam saltèm ex generali clausula si qua &c. prout juris fuerit restituen. ceteraque omnia facien. &c. exercen., & exequen. in praemissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna non obstant. praemissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, stylo Palatii, & Curiae, ceterisque contrariis quibuscumque statum, & merita causa, & causarum hujusmodi, aliorumque licèt hic forsàn de necessitate exprimen. tenores, & compendia prò plenè, & sufficientèr expressis haben. de mandato D. N. Papæ Audiatur Magister Franciscus Sacratas, citet, inhibebat, & sub censuris, & pœnis revocet, restituat, manuteneat, procedat, ut petitur, & Justitiam faciat.*

Placet D. N. PP.

C. Cardinalis S. Georgei:

## PATER SANCTE.

Commissio cum praeinserta ad infantiam Capituli, & Canonico-rum Principium ob-tenta, & directà eidem R. P. D. Sa-crato, ut suam inhibitionem moderaretur, & revocaret.

**E**Xponitur prò parte devotorum illius Oratorum Decani, Canonico-rum, & Capituli Ecclesiae Ulixbonen. humilitèr S. V. quod si asserti Canonici dimidii, seu Quartanarii nuncupati pro Oratoribus in quarto loco praefertis nominati expressissent motus proprios primo, & secundo loco praefertos habentes clausulam sublatam cum

Decre-



Decreto irritanti fuisse expeditos, ac executioni deman-  
 dados, & eosdem dimidios, seu Quartanarios adversa-  
 rios porrexisset in Signatura Gratiæ S. V. tertio loco  
 præinsertam, & illam partibus hinc inde informanti-  
 bus fuisse in eadem Signatura rejectam, utique di-  
 ctam quarto loco præinsertam subreptitiè à S. V.  
 saltem sic de facili non extorsissent. Verùm quia ii-  
 dem Oratores non debent amplius super jam ter-  
 minatis molestari, & perturbari, nec status illius Ec-  
 clesiæ amplius alterari, ideòque iidem Oratores suppli-  
 cant humilitèr S. V. quatenus dignetur causam, & cau-  
 sas in dicto quarto loco præinserta expressas, seu con-  
 tentas ad se avocare, & prævia illarum avocatione com-  
 mittere, & mandare prædicto Rev. P. D. Sacrato, coram  
 quo dicta quarto loco præinserta presentata fuit, ut  
 quamcumque suam inhibitionem illius vigore emanatam  
 moderetur, & revocet cum potestate dd. Adversarios om-  
 nesque alios citan., illisque, ac quibus, & quotiès opus  
 fuerit sub censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis ejus ar-  
 bitrio inflingen. pænis inhiben., aliisque facultatibus ne-  
 cessariis, & opportunis præmissis, ac Constitutionibus,  
 & ordinationibus Apostolicis, stylo Palatii, & Curia,  
 ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque sta-  
 tum, & merita causæ pro sufficienter expressis haben.,  
 vel si magis placet committatur eidem R. P. D. Sacra-  
 to, qui moderetur suam inhibitionem, perindè ac si præ-  
 inserta non emanasset. De mandato D. N. PP. idem  
 Auditor, ut in secunda parte petitur, & Justitiam faciat.

Placet D. N. PP. de secunda parte.

C. Cardinalis S. Georgei.

Cujus

Narratur  
 hic Rescrip-  
 tio Signatu-  
 ræ Gratiæ,  
 quæ denega-  
 ta fuit Par-  
 tibus hinc  
 inde infor-  
 mantibus Si-  
 gnatura Cõ-  
 missionis,  
 quæ ex ad-  
 verso pro-  
 ponebatur  
 pro aperitio-  
 ne oris.



R. P. D. Sa-  
cratus inhi-  
bitionem  
alias concef-  
sam mode-  
ratur, & re-  
vocat.

Cujus quidem Commissionis, sivè supplicationis vigore Nos Franciscus Sacratus Auditor prædictus ad supradd. RR. DD, Decani, Canonorum, & Capituli Ecclesiæ Ulixbonen. Partium Instantiam D. Joannem Ochea in Romana Curia causarum, & supraddictarum RR. Canonorum dimidiorum, & Quartanariorum nuncupatorum prædictæ Ecclesiæ Ulixbonen ex adverso partium Procuratorem ad viden., & audien. quamdam inhibitionem, aliàs per nos decretam, & ad partes concessam juxtà, & secundum dictæ ultimæ præinsertæ commissionis veram formam, continentiam, & tenorem per nos moderari, & illam ad viam Juris reduci, vel dicen., & causam rationabilem, quare præmissa fieri non debeant allègan. per aliquem ex Sanctissimi D. N. PP. Cursoribus citari mandavimus, & fecimus ad aliquem certum peremptorium terminum competentem, videlicet ad diem, & horam infrascriptos, Quibus obvenientibus comparuit in Judicio legitime coram nobis providus Vir D. Odoardus Paul in Romana Curia Causarum, & supraddictorum RR. DD. Decani, Canonorum, & Capituli Ecclesiæ Ulixbonen. partium Procurator, & dicti D. Joannis Ochea ex adverso Procuratoris non comparentis contumaciam accusavit, ipsumque contumacem reputari, & in ejus contumaciam dictam inhibitionem aliàs, ut præmittimus in hujusmodi causa decretam, & concessam juxtà, & secundum dictæ ultimæ præinsertæ Commissionis formam, continentiam, & tenorem moderari, & ad viam Juris reduci per nos instantèr postulavit. Nos tunc Franciscus Sacratus Auditor prædictus dictum D. Joannem Ochea ex adverso Procuratorem non comparentem  
repu-



reputavimus, meritò prout erat id exigente Justitia contumacem, & in ejus contumaciam attendentes postulacionem hujusmodi fore justam, & rationi consonam, volentesque in causa, & causis hujusmodi æqualitatem servare, ac Partibus Justitiam ministrare, ut tenemur, & per diligentem Actorum causæ hujusmodi inspectionem comperimus contenta, & narrata in dicta ultima inserta Commissione veritate fulciri. Idcirco auctoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte dictam inhibitionem aliàs per nos in hujusmodi causa decretam, & ad partes concessam juxtà, & secundum dictæ ultimo loco factæ, & præsentatæ Commissionis formam, & tenorem moderan. duximus, & revocan., prout moderamus, & revocamus præsentium per tenorem has nostras litteras desuper decernendas.

Quæ omnia, & singula præmissa vobis omnibus, & singulis suprascriptis intimamus, insinuamus, & notificamus, &c. In quorum omnium, & singulorum fidem præsentibus nostras fieri, & per Notarium nostrum infra-scriptum subscribi, sigillisque nostris, quibus utimur, jussimus appensione communiri. Datum Romæ apud S. Petrum in Palatio Causarum Apostolico, in quo Jura reddi solent hora Audientiæ Causarum consueta sub anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1601. Indictione 14. die verò 6. mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi D. Nostri Clementis Papæ VIII. anno ejus decimo. Præsentibus ibidem DD. Francisco Antonio Benedictionio, & Hieronymo de Cavaleriis Notariis publicis Testibus ad præmissa omnia vocatis, & rogatis.

Et Ego Joannes Lucas Reinerius Civis Perusinus publicus



158 DISCURSO APOLOGETICO,  
*blicus Sacri Palatii Causarum Apostolici Notarius, quia  
de præmissis rogatus fui, ideò publicum Instrumentum sic  
signavi, subscripsi, & publicavi requisitus, &c.*

#### Num. IV.

COPIA DA CARTA DE SUA Magestade  
para o Duque de Sessa em favor do Cabido  
da Cidade de Lisboa.

**D**Uque de Sessa *Evæna, Primo &c.* o Cabido da  
sé de Lisboa me enuiou dizer por sua petição que  
tendo elles alcançado de diuersos, summos Pontificis bul-  
las e breues porque ordenarão ò modo do seruiço, q os  
meus Conegos e quartanarios, daquella Igreja havião da  
guardar, aos quaes elles por diuerços meos resistirão;  
sendo informado desta materia, ò Pappa Gregorio 14.  
passou hum breue motu proprio pollo qual confirmando as  
bullas, dos ditos summos Pontifices, mandou, q os meos  
Conegos e quartanarios daquella sé, serviçem, e cantasem  
no choro, e no altar os diuinos officios, na forma, e  
modo, q ò Cabido lhes ordenasse, sem à isto porem du-  
uida, ou excepção alguma; o qual breue ultima mente o  
sancto Padre clemente oytauo conformou com m.<sup>as</sup> clausu-  
las, e mandou, q sem embargo, de qualquer posse, ou  
Custume ou, emcontrário, servissem a djta sé na for-  
ma, q lhas estaua ordenada, e não entrassen em Cabi-  
do, por ser conforme, ao q se guarda, nas maes Sés  
daquelle Rejno: e recorrendo, os djtos meos Conegos,  
e quartanarios, a sua S.<sup>te</sup> com diuersas queixas, e di-  
zendo



zendo tinhaõ muito, que allegar contra a djta reforma-  
 çãõ, e motus propios, defirindo sua S.<sup>de</sup> às djtas inpor-  
 tunações, os ouuio na sua signatura de graça, e em sua  
 presensa; onde propoferãõ suas queixas, e alegarãõ seu  
 direito, e uisto tudo, forãõ suas razões havidas por fri-  
 uolas, e mandado, que os djtos breues se executassem co-  
 mo se executaraõ, pollo Arçebpõ daquela Cidade, e os  
 djtos meos Conegos, E quartanarios, obedeçerãõ, e guar-  
 daraõ inteira mente, tudo o q lhes foy ordenado como  
 a inda guardaõ, de oito ou dez annos, a esta parte; e  
 que hora hum L.<sup>o</sup> Rodrigues, quartanario da djta sé ho-  
 mem inquieto e reuoltofo, se fora, a essa Corte e fize-  
 ra petiçãõ a sua S.<sup>de</sup> e dizendo nella muitas, couffas fal-  
 ças, e calando muitas verdadeyras, e por importunação,  
 alcançou de sua S.<sup>de</sup> que cometese este negocio à tres Car-  
 deaes, para que tornassem auer e examinar, e se lhe pa-  
 reçese reuogar ou reformar os djtos breues, e porque es-  
 tando, este Caso, tantas uezes determinado, E asenta-  
 do cõ tantas bullas, e breues dos Sanctos Padres, pas-  
 sados com muita consideração, e zello do seruiço de Deus,  
 e culto devino, serja materia de grande escandalo, e in-  
 quietação da djta Igreja, alterarse nem innouarse Me  
 pedjo o dito Cabido q os fauoreçesse cõ sua S.<sup>de</sup> sobre esta  
 materja: Daqual, me mandej informar pollo meu Viso  
 Rej daquelle Rejno, e elle o fez por pessoas, de letras  
 e prudencia, que uirãõ os djtos breues e bullas, e o ui-  
 rãõ as maes razões do Cabido, e lhes pareceo mui conue-  
 niente, à o seruiço de Deus, e culto divino, e authori-  
 dade, daquela Igreja guardarense as djtas bullas, e tu-  
 do o q nellas se ordenã, E por eu ter entendido, q El-



Rej meu S.<sup>or</sup> e Paj que Deus tem, por informação q̄ nesta materia teue pollo, Arche-Duque meu tjo, sendo Governador daquelle Rejno, a mandou favorecer diante de sua S.<sup>de</sup> me pareço, escreueras esta Carta, polla qual uos encomendo, que de minha parte faleis, a sua S.<sup>de</sup> nella, e que lhe digais, que polla Calidade E' authori-dade, daquelle Igreja, deue sua S.<sup>de</sup> ordenar q̄ nella se-não innoue, cousa algũa visto como ha tanto, tempo, q̄ as ditas bullas se deraõ, à execuçaõ, e o serviço da Igreja proçedeo ate guora quieta mente, e com a decen-cia, q̄ conuem à serviços de nosso S.<sup>or</sup>

E Porque tenho entendido, q̄ o djto Lourenço Ro-drighes, q̄ promoue e solicita este negocio nessa Corte por parte dos meos Conegos, e quartanarios, he homem in-quieto, e reuoltofo e como tal ha pouco tempo, se sabio daquelle Rejno, e se foy à o de França, donde tornou à elle duas uezes com cartas fingidas, e com intento, de inquietar algũas pessoas ignorantes contra meu serviço, publicando, e affirmando, que uira, no djto, Rejno de França, à ElRey Dom Sebastião, que Deus tem, uiuo, e sendo buscado por minhas, Justiças para ser preso, se embarcou secreta mente, E' se tornou à França, por ser sobrinho de frej José teix.<sup>ra</sup> que reside no djto Rejno, frade dominico, e foy hũ dos principais culpados e exep-tuados na rebeliaõ do Prior, que foy do Crato; e porq̄ segundo, à inquieta exediosa natureza do djto L.<sup>o</sup> roiz pode causar, e ordenar nessa Corte cousas, de Escanda-lo, e contra ò serviço de Deus e meu por estes respeitos, e por quietaçã de taõ, Principal Igreja como a de Lis-boia, uos encomendo, q̄ peçais assj mesmo, à sua S.<sup>de</sup> te-nha



inha por bem demandar sabir dessa Corte à o djto L.<sup>o</sup> Rõiz, e obrigarlhe com graues penmas a q uenba servir seu benef.<sup>o</sup> na forma em q sua S.<sup>de</sup> e os mais summos, Pontifices tem ordenado; escrita &c.

## Num. V.

## CHRISTI NOMINE INVOCATO.

